

victorem? *Ad.* Tibi fortuna magis aspiravit: viribus & arte non tibi cessero. Sed quod arbitri pronunciaverint, id sequar. *Ar.* Germanus vicit; & hoc gloriosior est victoria, quod talem artificem vicerit. *Be.* Nunc canta, Galle, *Ad.* * Sum raucus. *Be.* Hoc Gallis novum non est: sed tamen cocyssa. *Ad.* Floreat Germania ter. *Be.* Imo ter hoc erat canendum. Contraximus siticulam; eamus ad compotatiunculam; ibi perficietur cantio. *Ad.* Non recuso, si ita videtur arbitrari. *Be.* Ita commodius est. Melius canet Gallus * colluto gutture.

Sum raucus] *Allusio ad Gallos gallinaceos, quibus natura adest vox rauca, qui proprie dicuntur coccyssare, unde & Galli vulgo vocant Gallum cocq.*

Colluto] *ita Persius. Guttur mobile colluerit. Solet enim medicamentis vox fieri mollior, quod fit hic vino.*

Ludus Sphaeræ per Annulum ferreum.

GASPAR, ERASMIUS.

Ga. *A* Ge, nos auspicabimur. Victo succedet *Marcolphus.* *Er.* Sed quod erit victori præmium? *Ga.* *Victus ex tempore faciet & recitat distichon iu laudem victoris.* *Er.* Accipio legem. *G.* Vis ne sortiamur, uter prior incipiat? *Er.* Esto tu Prior, si libet; ego malim esse Abbas. *Ga.* Hoc tua conditio potior est, quod tibi nota est area. *Er.* Versaris in tua barena. *Ga.* In hac exercitatio sum, quam in libris. Tamen istud perquam exigui momen-
ti est. *Aequū* est, ut tantus artifex in hoc certamine mihi largiare nonnihil. *Ga.* Imo isthuc abs te peterem justius: sed parum est honesta precaria victoria. Is demū vincit, qui suo Mar-

D 2

te